

hydropicorum: alias in reliquis seri & lymphæ abundantius usurpatur hoc Elaterium, nam *potenter & fortiter evacuat*. In hydrope tamen & affectibus serosis omnibus est præferendum. Quod attinet præparandi modum apud nostrates, in usu est, ut fiat Esf. ELATERII, cujus variæ sunt præparationes. Est elegans quam habet MORELLVS in *Tr. de materia medica pag. 68.* ex succo aloës convenientem in hydrope quocunque, in specie in hydrope uteri D. MICHAEL parat Esf. quam habuit expertissimam in hydrope ex radice, recipit radicem, incidit in taleolos, hos in umbra exsiccatos extrahit cum sp. vini & Esf. suam ita parat. Nam non tantum succus ex fructu expressus est purgativus, sed etiam ex tota planta ac radice elicitus, utut ex fructibus sit omnino violentior illo, qui ex reliqua planta desumitur. Et quidem in Esf. D. MICHAEL ingredi solent confortantia & appropriata, inter quæ est ol. Cinamomi & similia. EXTRACTIONUM cum sp. vini prostat in officinis & in summa dosi potest dari ad gr. xv. raro tamen solum præscribitur, sed permiscetur ut plurimum cum aliis sic permistum cum q̄ dulci est egregium purgans in hydrope uteri: redigi etiam potest in formam pilularum in hydrope assumendarum. Non facile corrumpitur, ut CARDANVS asserat, durare posse ad 100. annos, dicatque quod quò vetustius sit eò efficacius deprehendatur & melius. Mirum est quod dicit BORELLVS, & quod verum etiam est, quod *purgat & ex cavitate abdominis*, & res est adhuc obscura: tamen experientia confirmatum, quod post assumptum manet Elaterium hydrope ascite laborantis abdomen admoto cingulo fuit reperimentum sensibilibiter imminutum post meridiem. Erretulit mihi D. MICHAEL, se aliquando in aliquo gravidis quæ ob serum abundans in tunica fetuum ambientibus, fœtus motiones animadvertere nequiverint, beneficio suæ Essentiæ Elaterii effecisse, ut denuò sentirentur. FREITAG. imprimis Esf. vel EXTRACTO quæ fit cum sp. vini tundi, præfert hanc compositionem non nudam: Nam in substantia raro aut nunquam præscribitur: Si scilicet cum spiritu vini extractum factum, vel parata Esf. permisceretur cum succo Cydoniorum vel berberum vel pomorum dulcissimi, & hæc ad consistentiam Electuarii coquerentur, vel potius optima dicitur præparatio, si Elaterium solvatur in succo violarum, Cydoniorum, pomorum &c. per residentiam partis impurioris, postmodum inspissetur: idque faciendum est specificis succis pro specifica morbotu varietate. Præter virtutem purgativam succus Elaterii recens multum facit externo usu in tumoribus duris emolliendis & scirrhis discutiendis, uti & scrophulis ac strumis emolliendis: sic externè ingreditur usitate unguenta & cataplasmata ad scirrhos lienis & infarctum destinata, uti & ad quoscunque tumores duros & difficulter denuò solubiles. Item in scrophulis ac strumis est egregius succus cucumeris asinini, non minus etiam cataplasma ex foliis cucumeris asinini contulis. De cujus efficacia in scrophulis. Vid. RIVERIUS in *observationibus communis*.

EUPHORBIIUM.

Quod est succus quidam ex fauciata planta

eiusdem nominis exstillans. Cæterum ista planta, an sit arbor, an frutex, an ferula, discipant Auctores, quoniam non est adeò cognita. Quicquid sit ex Asia, ad nos adfertur Euphorbium, electionem & eligendi modum, videatis apud AUCTOREM. Succus est acris & causticus, & propterea, ut aliquantisper imminuatur acrimonia, corrigitur per absorptionem & exhalationem ☉is vol. acris. Vix usurpatur, nisi quod prius anni unius superat ætatem: nam sic imminuitur acrimonia ejus caustica, & virulentia mitigatur. Annosum est recipiendum tuto, recens verò reprobandum. *Validissime expurgat pituitam ac serum, & omnes partes tam crassas & viscidas quam tenues promiscuè, estq; malignū satis, quoniam bonum cum malo, & malum cum bono colliquefacit & expurgat, & propter virulentiam & violentiam, non tantum ex massa sanguinea, sed ex toto corpore evacuat potenter.* Hinc propter violentiam in affectibus saporosis Apoplexia, Comate, Lethargo & similibus, uti etiam in tremore & nervorum resolutionibus à quibusdam solet adhiberi: sed est validum remedium, & in substantia uti dicit AUCTOR vix ad gr. iv. assumitur. Vidit tamen FREITAG. ejus usum satis innoxie frequentatum à rusticis, qui pulverem ejus ad ℥j. pondus cum evidenti successu adhibuerunt, cæteris medicamentis nihil proficientibus. Quando debet adhiberi, quod tamen raro fit, est corrigendum, ut effrænis vis dometur: sed correctiones communes in officinis sunt vel ridiculæ vel castrationes per ☿. succum citri & alios succos acidos, qui omnes quatenus figunt ☉ vol. Euphorbii non tam cortigunt, quam castrant ejus virtutes, & quantum corrigunt, tantum auferunt de efficacia. Peruviani in correctione Euphorbii usurpare solent aut Euphorbium, quo utuntur ad noxas ab Euphorbio impressas tollendas & sanandas. Hoc cum destituamur, nihilominus tamen ipsi possumus substituere portulacæ, momente FREITAG. ex eo, quod Ant-Euphorbium maximè æmuletur cum virtutibus portulacæ & cum ea conveniat: & propterea rectius cum succo portulacæ inspissato, quam cum re quæcunque alia posset exhiberi aut corrigi. ALTENBURGENSES non inconcinne præparant vel corrigunt h. m.

℞. Euphorbii selecti ℥iij. pulverisato adfundunt

∇ Cinamomi optimi ℥iv.

Detinent in patella vitrea ad calorem fornacis, tantisper donec arefactum sit, cui demum adfundunt

succi granatorum acidorum ℥iv.

℞. Si ℥ss.

& procedunt ut prius, tandem profundunt unâ cum ∇ ℞ta Cydoniorum ad ℥iv. & priorem observant processum: resiccatum denique terunt affusa gutta unâ vel altera ol. amygdalarum dulcium. Inter PRÆPARATA prostat OL. EUPHORBII COMMUNE, cujus præparatio vid. apud AUCTOREM, & prodest in affectibus frigidis nervorum in specie in catarrhis & lethargo, uti etiam in curanda atrophica, & hæc omnia externo usu: confert etiam ad generationem capillorum, in casibus scilicet, ubi aliud nihil juvat. Præterea usu externo non est infrequens in Chirurgicis, dum

U

dum